

Gregorius IX. Tribus Ordinibus Praedicatorum in Prussia partibus constitutis ut exercitui Crucesignatorum succurrentibus indulgentiam largiantur. 52
Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilectis Filiis Tribus Ordinibus Praedicatorum in Prussia partibus constitutis salutem et Apostolicam benedictionem.

Ut Dei nostri militia in Prussia partibus constituta ea plenius a Pruthenorum insultibus sit immunis, quo facta fuerit necessarius munimentis, devotioni vestrae digne duximus suadendum, per Apostolicam vobis scripta mandantes, quatenus ad aedificia et fossata, nec non munitiones alias faciendas, per quas in praedictis partibus Christiani robur exercitus augeatur, fideles in eodem exercitu constitutos piis exhortationibus efficaciter inducatis. Verum, ut, quod vobis scripto suggeritur, interuentu praemij salutaris facilius impetretur, nos de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint, et expensis, viginti dies de injuncta sibi poenitentia relaxamus. Datum Anagninae 11 Nonas Octobris Pontificatus Nostri Anno 4.

